

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

92.
105

EVPHEMIAE

IN HONOREM ET FESTIVITATEM CONIUGII CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI, DN. M. BARTHOLOMAEI SCHROTERI, LINGVAE SANCTAE & Mathematicum Professoris in illustri Gymnasio Serevestano dignissimi,

SPONSI.

ET

SELECTISSIMAE HONESTISSIMAEQUE VIRGINIS, MARGARETHAE, VIRI HONESTI GEORGII CRAMERI Civis Serevestani, filiae charissimae, SPONSAE.

Scriptae

A Collegis, amicis & Discipulis amoris & observantiae ergo

Celebrati

DIE XXV. IANVARIII ANNI A PARTU
Virgineo cl. 19c. VIII.



Imprimebat Sorobasta
Iohannes Schleer, Anno 1608.



Æ N I G M A

Πρὸς Φιλετάρεα γαμικὸν, τὸν χειροφίλον.

Ex Psal. 110. v. 1. Matth. 22. v. 43. Hebr. 7. v. 3.

Dic, quis nec patrem, nec matrem agnoscat,
utrumque
Et nōrit l matris natus, ut & Dominus.

Quà Deus, haud matrem agnoscens: homo nescius
idem

Est patris CHRISTVS, qui Deus est &
homo.

Quà Deus, est idem Dominus Davidis, & isto
Prognata matris: quam veneratus homo est.

M. Caspar Viricus.

Ad Clariss. Doctissimumque

Virum M. Bartholomæum Schroterum &c.

Sponsum, phalæcium παρο-
σητιδῶν.



Vid, Schrötere, meam prece ambiendo,
Sponsus sollicitas novus Thalamus?
Artis Pæonia decus, decusq;
Celi nomine qua cluit sororis,
Nec non fama novem simul sororum,
Quid, Schrötere, meam rogans Camenam
Poscis, qua lepidos tuos amores
Pangat carmine, quaq; Margaritam,
Cordis dimidium tui, toriq;
Consortem, celebret decente versu,
Versus auspicio Catulliani?
Non his, non ego sum amplius canendis:
Iam languens senio, molestiq;
Vita perpetuis, laboribusq;
Consumtus studioq; pertinaci,
Inter vipereum genus virorum,
Artis & inter arbitros iniquos,
Seculi moribus hisce abominandis:
In pejusq; ruentibus metallum,
Non sum, qualis eram recens juvena,
Romano pede dexter & Pelasgo:
Qua fert omnia, me mihi senectus

A 2

Ademit,

Ademit, minuens, vigor is haustu,
Vires ingenijq; corporisq;
Vix umbramq; mei mihi relinquens,
Quare mitte rogare me, quod annis
Exhaustus vigor, & labore robur
Abnegant: ab eas velim rogatum
Illos, & quibus integer iuventa
Est sanguis, solida valentq; vires.
Me sit vota satis precesq; canum,
Iesida mihi quas satus praeiuit,
Pro cantu tibi ferre nuptiali,
Quod commune meis senex amicis
Destinavi ego munus, obtuliq;
Languescente magis magisq; Musâ.
Quo maius tibi non arena Gangis,
Non ripa dederint Tagi, nec Hermus.

Ευφροία γαμικὴ

Ex Psalmo CXXIIX. ut putatur, Salomonis, com-
mendante omnibus hominibus, & imprimis conju-
gibus, timorem Dei, & manuum laborem, u-
trumque ad vitæ beatitudinem summope-
re necessarium.



ter beatum, quem timor intimo
Tangit Iehova pectore, nec sacrâ
A lege diuorsum in salebras
De viuis insinuavit erroribus

I.

O te

O te beatum, quisquis es, aut eris ?
Nam sorte quamvis paupere sis, tui,
Illo favente, te laboris

2.

Fenus alet. Facilem ille abunde
Victum refundens, ut bene sit tibi,
Cornuq; pleno copia suppetat;

Rumoreq; ut vortant secundo,

Cuncta operum tibi prosperabit.

Ceu vitis arctans palmite conjugem

3

Vlmos maritat; ceu viridi domum

Incingit amplexu stolonum:

Sic tuate sobolis feraci

Stipabit uxor germine liberum,

Mensam ambientum; ter mite uti suam,

Non mentiente spem coloni,

Arborem oliua onerans renodat.

Hac sunt, Iehovam qui timet, hac vito

4.

Promissa vita commoda, qua manent,

Eventibus rerum invidendis,

Corde Deum ingenuo colentem.

Arcis, Iehova, è sede Sionia

5.

Lauto bonorum te cumulo obruet,

Vibemq;, qua sedem locasti,

Commoditate beabit omni.

A 3

Florentis

Florentepacis quò Solyma ubere,
Atq; Israelis incolumi statu,
Natosq; natorumq; tecum
Progeniem aspicias beatam.

6.

PSAL. CXXVII. eodem auctore docens omnes
conatus nostros & labores, nisi à Deo adju-
ventur & provehantur esse
irritos.

Nisi Dominus edificaverit domum &c.



Vidcamenta, trabes quid Libanitidas, 1.
Extremaq; paras marmor ab Africa?
Doctas artificum quid redimis manus,
Vt moles operum magnificas struas?

Nam Iehova sua ni jaciat manu
Fundamenta domus: rem, sobolem, focum
Ni divina bonis gratia sospitet,
Solertis perijt machina fabrica.

Ni Iehova suis mœnia circitor
Noctes atq; dies excubijs tegat,
Incassum speculis excubat incola,
Somni non capiens munera pervigil.

Prævertens radios manè Hyperionis, 2.
Et condens opera Noctiferum improba,
Damnato penitus nil facit ocio,
Defraudans genium ventre famelico.

Nil

*Nil his proficitur: cura, labor perit,
Vita carnisces; ni Deus hos juvet
In partem veniens. Ille suis penum
Auget, vel mediâ nocte jacentibus.*

*Sic, Iehova, tuo munere suppetunt,
Vrbis seminium, germina liberum;
Fecundante nurus celite gratia,
Turget lata uteri prole feracitas.*

3.

*Educente Deo, robore masculo
Firmatur juvenum prompta ferocia,
Excussa forti qualia brachio,
Perrumpunt calami spicula Gnosij.*

4.

*Felicem o quoties, qui gravidam gerit
His telis pharetram? non furor hostium,
In portis patria bella movens fera,
Illis degeneri cor quatiet metu.*

Gregorij Berfmani.

A L I A.



*Conjugium fons est atq; Excellentia vitæ,
Ipsūq; authorem res habet ista Deum.
Hic quoque scintillas pari mortalibus ignis
Indidit atq; foret flaminis igne sui
Sic genus humanum deductum ab origine primâ
Et genus hoc vitæ servat in orbe DEVS.*

Namq;

Namq; ex hoc sanctum semper sibi colligit agmen,
 Quod colit æternum voce, fideq; Patrem.
 Adde quod ex hujus plantis Respublica crescit,
 Ac capiant vires templa, scholæq;, domus.
 Talia foederibus casti sunt commoda Lecti,
 Quæ fovet æternus curat, amatq; DEVS.
 Hæc tu animo volvens socialia vincla subibis,
 Clare vir Aonidum BARTHOLOMÆE decus;
 Gratulor ergo tibi, votisq; ardentibus opto,
 Ut tua fortunet tam pia cepta Deus
 Ipse suo vestrum præsens alat igne Calorem,
 Et det ut alterno pectore certet amor,
 Perq; affixa labris chara oscula Spiritus alter
 Corpus in alterius migret, alatq; duos.
 Sic duo non eritis duo, sed duo corpora & unum,
 Quando in diversis Spiritus unus agit.
 Hæc rata vota Deus faciat, thalamoq; querelas
 Avertat, vestram prole beetq; Domum.

A L I A.




Eu Margarites aureo
 Candore fulget annulo,
 Inclusa; sic puellula
 Pudica Sponsi pectori.
 Et candidum ceu Liliū
 Odore vincit flosculos
 Sic flos odorus virginem
 Sponsi periti sublevat.
 Talis refulgens Vnio
 Tuo est Schrötere, pectori,
 Talis Schröterus est tuus
 Flos cordialis, Margaris.

Tibi

Tibi supremi Gratia
Astat, fovetq; Numinis,
Ut flos tuus sit turgidus,
Vir docte, multo semine
Tibi supremi Gratia
Astat fovetq; Numinis,
Ut fulgeat post, Margaris,
Teneris & unionibus.

Iohan. Sagittarij
MD,
A L I A.

 Ante rex regum, Deus & Deorum,
Omnium rerum fabricator alme,
Mitis es qui tu, sua poenitenti
Crimina donans;

Te rogo supplex, patrio flagellum
Corde funestum cohibe, lucmq;
Tolle lethalem, ferane futuro
Sæviat annos;

Et velut factum rapiat maritos
A novis nuptis iterumq; nuptas
A viris: sed da duo sint in uno
Corpora lecto.

Namq; tu primo thalamum sacratum
Ipse fundasti, Venerem & pudicam
Approbas, sanctæq; probas parantes
Gaudia tædæ.

Destruis contra varieq; punis
Qui tori spernunt pia vincula, atq;
Interim gaudent vertito calere
Turpiter igne.

B

Ergo

Ergo nunc intra thalamum jugalem
Margaris pulcrâ facie, atq; culti
Dotibus veris animi, mihiq;
Sanguine juncta.

Quod tibi conjunx libeat vocari
Inde præclari Domini Magistri
Hoc placet Patri nitidum qui Olympum
Implet & ornat:

Quem, manus tendens geminas ad astra
Invoco, supplexq; precor, benigna ut
Prosperet lecti benedictione

Fœdera vestri,
Sancta vobiscum pietas moretur
Vna mens, & unum cor, & unus ignis
Vos liget, semper sacra paxq; vestras
Incolat ædeis.

Jacobi Macken Seruest.

A L I A.



Adtenus attentas ego quò novitatibus aures
Præbui, eò lævâ de peste relata volârunt;
Quam contra potuere nihil medicamina, docta
Non ars Hippocratis valuit; quare undiq; dites
Atq; inopes, nec non pueros, juvenesq; senesq;
Multos hæc rapuit, verum si dicere fas est,
Virgineo imprimis nocuit flori, atq; verendis
Matribus; unde jacent multi sine conjugè lecto.
Postquam autem dudum nostras invaleret ædes
Dicta lues, totam tunc ibat fama per urbem
SCHROTERVM SOPHIÆ famâ super æthera notum
Mox celebraturum thalami felicis honores,
Continuò quanquam doleant mea pectora luctu.

Nostra

Nonna etiam nuper quæ dulcissima mater
Decedens terris ad magni sydera cæli
Migrabat, cara atq; soror correpta peribat
Pelle: tamen quoniam SCHROTERVS, dotibus auctus
Ingenij, sacræ celebrabit gaudia tædæ,
Hæc ornare decet tenui me carmine, namq;
Vivos viva decent, & lætos læta, supremo
Qui clausere diem GENITORE jubente quiescant:
Si tumulto officium ingratum præstare licebat,
Et thalamo officium gratum præstare licebit.

Ergo age; SCHROTERVS postquã perceperat artes
In ludo doctas aditum ad graviora ferentes,
Protinus externas patriã digressus ad oras
Addidit ingenus studijs nocturna diurnis;
Et cæpit varias rerum cognoscere causas,
Nempe suo quare repletet lumine phœbus
Mundum, splendet pleno cur cynthia cornu,
Aut alias posset mutata referre figuras,
Quid densas faceret nebulas, gelidamq; pruina,
Quid rorem efficeret, crinitos quidvè cometas,
Ignitasq; trabes quid gigneret, atq; cadentes
Stellas, unde suos iris caperetq; colores.
Quare cum vigili perceperat omnia curâ,
Inde gradus summi SOPHIÆ suscepit honorem,
Et rerum causas, & quid natura, quid ignis,
Terra, Aqua, & unde nives, quæ fulminis esset origo,
Aër an venti discussa nube tonarent,
Quid quateret terras, qua sydera lege mearent
Hinc docuit, quæ vis animavit sydera monstrat
Postera per memores vulgando in secula Fastos,
Felices animæ, quæ ex cælo agnoscere possunt,
Quando caput teget obscura ferrugine Titan,
Quando laborabit defectu Luna volucris,
Quando sydera erunt nullis obscura tenebris,

B z

Quando



Quando dies pluvia sævis ventisq; carebit,
Quando cæruleo veniet cælo agmen aquarum,
Quando ædes Euri tenuis Zephyriq; tonabunt,
Quando mortales mordebunt frigora, nixq;
Quando cadet cælo, & quando liquefacta recedet,
Quandoq; incumbet scopulis arentibus æstas,
Et rapidus torrens sitientes syrius Indos
Ardebit cælo, & medium Sol igneus orbem
Hauriet, & pestis quando diffusa per oras
Sæviet, & ruptis vicinæ legibus urbes
Inter se arma ferent, rerum & mutatio fiet,
Hæc sunt magna quidem supremi munera Ihovæ,
Posse è præalto cælo ventura videre,
Sed majora puto socialis foedera lecti
Esse, quibus fiunt homines Genitoris imago,
Qui mare qui terram verbo qui fecit olympum:
Quo qui præcipuè non delectatur honore
Certè hominis veri non nomine dignus habetur,
Ergo piè faciunt, celebrant qui gaudia tædæ,
Turpiaq; illiciti fugiunt consortia lecti;
Nam flammæ sentire suo sub pectore nullas,
Hoc opus hic labor est, qui virginitate fruuntur
Sunt certè pauci, per quem non vivit & alter
Indignè vivit, sociæ conjunctio vitæ
Sola placet Domino supremo, atq; omnibus una
Præfertur reliquis meritò laudemq; meretur,
Hic status hic sacer ordo datus, qui prole creanda
Serviat, hinc seritur vivis Ecclesia plantis,
Hic par est luctus, paria hic sunt gaudia vitæ,
Quæ magno in mundo veniunt carissima nobis
Optato ista toro, ni fallor, cedere credo:
Cælibis at viduæ tot sunt incommoda vitæ,
Quorquot pontus habet pisces, & gramina campus,
Hic cura hic ægro surgunt suspiria corde,

Iusti

Iusti semper adest hic certè causa doloris,
 Hoc etiam SCHROTERE tuo cum corde putasti
 Forfitan, & dictis deinceps es talibus usus:
 Corda gerant alij vetitis obnoxia flammis,
 Gaudia vana toro carpunt dum cælibe, sæva
 Sæpeq; multiplici cumulent sibi damna dolore,
 Ira Dei vindex ubi magni Iudicis ardet,
 Carpam ego legitimæ dulcissima gaudia vitæ,
 Vita jugalis enim lecti est dulcissima vita;
 Ergo Deum summum supplex in vota vocasti,
 Iungeret ut castam tibi formosamq; puellam,
 Quâ sociâ nil triste, licet sit triste putares,
 Inq; Academia veluti factum hæctenus à te
 Vivere sic posses, nam si modò vera fatemur,
 Conjugium humanæ divina Academia vitæ est.
 Promovet ergo tuum votum sacer ipse IEHOVA,
 Et tibi de varijs atq; omnibus eligit unam
 MARGARIN, illius præstantes carmine laudes
 Concelebrare satis minimè mea Musa valebit,
 Quæras, SCHROTERO quare SERVESTA, nec ipsa
 HAIDELBERGA parem reperit peperitq; puellam,
 Ingenium cujus studiumq; insomne probabat?
 Res ita visa DEO, Fato connubia fiunt:
 Gymnasio illustri postquam mors abstulit atra
 AM LINGVM & VOITVM clarissima lumina, lumen
 SCHROTERVM nobis iterum dedit ipse Iehova
 Nostrum Gymnasium testans se nolle perire,
 Quo SERVESTA Ducum domus inclyta, nobilis aulæ
 Hæctenus ASCANIÆ fuit ornata atq; polita,
 Vive diu sospes Præceptor laude colende,
 Vive Scholæ illustris felix & in urbe Professor,
 Ingenijq; vigor sanctæ facundia linguæ
 Fulgeat hic magnos coelo dum sidera fulgent,
 Cur ruit huc studio spectandi effusa juventu?
 Fallor, an aspicio SCHROTERVM, incedere doctū?

B

Qui



Quem lepor in dictis decorat prudentia factis:
Schröterus certe est, quem lucidus ore verendo
Ordo SENATORVM sequitur, comitatur euntem
Ordo PROFESSORVM, nec non studiosa juventus
Fallor an aspicio MARGRITAM incedere pulchram.
Quæ fuit à teneris pierati dedita, veri
Ardet amore Dei, caros colit atq; parentes,
Est certe virgo, quæ toto pectore multis
Ante petita viris est, sed Schrötere Magister
Te solum innumeris, te prætulit omnibus unum,
Et fieri solo voluit te conjuge conjunx,
Et genitore parens, te audire marita marito.
Ite bonis avibus, divini vivere verbi
Quos juvat ad normam, formam, ritumq; sacratum,
Quem DEVS instituit, quare contemnere nemo
Hunc debet; Dixit Dominus non esse salubre
Sic hominem solum sine conjuge vivere vitam;
Inunc stulta cohors, & gaude cælibe vitâ,
Si Deus hoc dixit, turpe est huic dicere contra;
Ille regat vestras mentes, regat ille labores,
Sacraq; fortunet vestræ connubia tædæ,
Insidiasq; fuget stygij fraudesq; Draconis,
Et vos incolumes longum conservet in ævum,
Cedant mæstitiæ tristes incommoda cedant.
Quod restat vestrum numerosa prole cubile
Augeat æthereâ supremus in arce lehova,
In qua cognosci possint materq; paterq;
Quondam & quæ referat decus ingeniumq; Parentis
Quondam & quæ referat castæ pia pectora matris.

Ioannis Cöppenij Servestani.

TE quoq; Pieridum non ultima fama sororum
Diva Erycina Paphi BARTHOLO-
MAE E trahit!

Idalio puero non posse resistere Musas,
Miram, crede mihi, res habet ista fidem!
Mira quidem, sed vera fides; namq; arte perita
Blandus amorifluas spargit ubiq; faces.
Spiculaq; aurato promens mucrone Camenis
Insidiosa pijs vulnera saepe parat.
Nec prius absistit, donec victa arte Pelasga
Incidat in casses prada petita suos,
Sic Diva ipsa dolis gaudet Cytherea repertis,
Gaudet q; insidijs ipse Cupido suis
Et tamen inflicta si quisquam clade laborat,
Quod dederat, Numen vulnera curat idem,
Et medicas adhibere manus ad vulnera suescit,
Legitimo jungens pectora bina toro.
Sic SCHROTERE tuum tetigerunt spicula doctum
Idalij pectus, mentem animumq; Dei.
Hinc non immerito morbo medicamina quaris,
Qua non Fernelij Pharmacopaeus habet.
Sed qua sola tuos mittit miserata labores,
Aeneadum genitrix, Diva Paphi atq; Gnidi.
Scilicet insigni pietatis laude puellam,
Hanc recipe, hac morbum corrige, sanus eris.

Plura

*Plura recensenti vellit mihi Cynthus aurem,
Admonet, atq; bonis sufficere ista docet.
Quare quod superest, SPONSE humanissime,
felix
Sit tibi conjugium, sit sine lite torus.
Te conjux, soboles, pax, aurea secula, teq;
Vita haec, post etiam vita futura beet-*

Christiani Moldenhaueri
Bernburgensis.

F I N I S.



№ 1996.

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



Sh


nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX



B.I.G.

Farbkarte #13

Æ
ET FE.
GII CLARISSI.
I, DN. M. BAR.
LINGVAE SAN-
n illustri Gymna-
simi,

92.
105

Æ HONE.
NIS, MARGA-
I GEORGII
e charissimæ,

oulis amoris

NI A PARTV
VIII.

101608.

